


LVNÆ DIE 19 M. DECEMBRIS A. 2016

A.d. XIV Kal. Ianuarias a. MMXVI

195

M E L L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS

Gaius Licoppe

REDACTRIX

Francisca Deraedt

Rue des Aveugles, 14 A, B - 4210 Marneffe.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

DE NECESSARIO LEXICO NEOLOGISMORVM LATINORVM

– scripsit Gaius Licoppe –

In *Melissæ* fasciculo 193 symbolam c.t. «De mutatis bellandi modis» divulgavi. In qua de tot recentissimis rebus tractatur, ut vocabula idonea certe non inveniuntur in operibus Ciceronis vel Cæsaris, neque magis in recentioribus lexicis. Mihi ergo necessarium fuit neologismos fingere.

Paulo post *Melissæ* editionem Nicolaus Gross, ipse fertilis scriptor Latinus necnon lexicographiæ studiosus, cuius *Epistulæ Leoninæ* permultis lectoribus sunt notæ, ad me litteras misit, quibus dicebat se nonnullis ex meis neologismis non assentiri.

Imprimis «cyberbellum»: hæc compositio, ait, est hybrida, i.e. Græco-Latina; insuper caret syllaba coniunctiva. Quare potius proponit: «bellum cyberneticum», quod certe Latinius sonat; syllaba enim vel vocalis coniunctiva necessaria est ad euphoniā respiciendam. Tamen vocabula hybrida Græco-Latina suntne respuenda? Cardinalis Bacci, clarus lexicographus, in normis rationibusque neologismorum fingendorum, quas inter Conventum Romanum anni 1966 enuntiavit, de hybridis verbis dixit hæc:¹ «Nova verba, ex Græco atque ex Latino fonte una simul coniuncta, derivari possunt; quamvis hæc verba, quæ hybrida a grammaticis vocantur, a nonnullis qui 'pro Latina lingua acriter pugnant, et Latii fines contra peregrinitatem tuentur',² omnino respuantur. Quintilianus enim hæc habet: 'Iunguntur autem [verba] ex duobus Latinis integris, ut *superfui*... aut ex integro et corrupto, ut *malevolus*, aut ex corrupto et integro, ut *noctivagus*, aut duobus corruptis, ut *pedisequus*, aut ex nostro et peregrino, ut *biclinium*, aut contra, ut *epitogium* et *anticato*, aliquando et ex duobus peregrinis, ut *epirædium*; nam cum sit *epi* præpositio Græca, *ræda* Gallicum... Romani suum ex alieno utroque fecerunt'.³ Cur igitur quod Quintilianus concedit, non assumamus, et quibus verbis ipse Cicero aliique scriptores optimi utuntur, nos non utamur?» Et exempla affert: «autocinetum», «autoræda», «autoarcera», «televisio».

«Cyberterrorista»: similiter «terrorista» etiam dicitur esse verbum hybridum (verbum Latinum + suffixum Græcum). Re vera Carolus Egger et Cælestis Eichenseer maluerunt neologismum «tromocrates, -æ». Equidem tamen puto vocabulum nostratibus statim intellegibile esse præferendum; is enim, qui Græce nescit, non intellegit quid sit tromocrates.

«Djihadista»: hanc formam a phonetica et orthographia Latina omnino discrepare; præferendam esse formam «islamomachus». Respondeo hunc neologismum quoque esse hybridum; insuper, etsi bene inventum, non evocat id quod vocatur *djihad*. Assentior tamen

«djihadista» bonam formam Latinam non habere. Iterum ergo sequamur Cardinalem Bacci, cum dicit: «Romani suum ex alieno utroque fecerunt». Igitur suo deo, ut scribatur «dzihadista».

«Fucus»: hic fateor me peccavisse contra regulam, quam ipse respiciendam dico. Ad vocabulum enim Anglicum *drone* Latine exprimendum elegi, magis iocose quam serio, fucum, id est verbi translationem; sed lexicographia est res seria; cogitandum ergo est. Nicolaus Gross proponit «autoplanum»; «planum» tamen adhiberi solet in nominibus vehicularum aeriorum, quibus sunt alæ; in helicopteri nomine, exempli gratia, «planum» non est et re vera alas non habet. Americani *drone* vocant *Unmanned Aerial Vehicle* vel *System*, id quod nimis longum est. Considerandum est in præcipuis linguis Europæis vocabulum Anglicum *drone* esse assumptum: Francogallice *drone*, Italice *drone*, Theodice *Drobne*, Hispanice *dron*. Si Latine dicimus «dronum», a nostratibus facile intellegimur; «fucus» tamen, translatio vocabuli *drone*, est vocabulum Latinum.

«Pirata informaticus»: Gross monet homines, qui Anglice vocantur *hackers*, non semper malevolentes esse; sunt enim homines rerum informaticarum periti quorum munus est conari systemata informatica bene protecta penetrare, ad protectionis efficacitatem temptandam. In lexico tamen *Larousse* Francogallica translatio vocabuli *hacker* est *pirate informatique*.

Ex hac disceptatione patet alios, qui neologismos statim intellegibiles fingere conentur, aliosque, qui linguæ puritatem magis respiciant, esse conciliandos. Sed etiam si multa vocabula finguntur statim intellegibilia, multa restant obscura. Ei, qui aliquid de rebus modernis Latine scriptum legere, vel ipsi scribere cupiunt, difficultatibus occurrunt propter ignotos neologismos, quos nusquam inveniunt; tum ipsi vocabula fingunt, nonnumquam neglectis regulis traditis.

Non desunt exempla. In Francogallia v.g. recens translatio Latina clarissimi libri puerilis *Le Petit Nicolas* inscripti scatet verbis nimia phantasia fictis.⁴ In Nederlandia autem anno 2014 editus est libellus, quo divulgantur tres fabellæ scriptoris Harrii Mulisch, in Nederlandia clarissimi.⁵ Post auctoris mortem medicus amicusque Iulius Roos delectationis causa has fabulas in Latinum vertere statuerat. Rude donatus, magisterium linguæ culturæque Romanæ fecerat in Universitate Amstelodamensi, quo tamen non paratus erat ad textus nostræ ætatis in Latinum vertendos. Non mirum ergo si, ut ipse in præfatione scribit, vocabula quæ non inveniuntur in lexicis classicis ei fuerunt difficultati; etiam in *Lexico Vaticano*

idonea vocabula sæpe non inveniebantur. Ea ergo ipse finxit, etsi normarum nesciens.

Iam difficile est neologismos fingere, qui spectant ad vitam communem; difficilius vero fit cum agitur de rebus peculiaribus. Exemplum, quod spectat ad rem nauticam, in pagina lexicographica sedis interretialis Melissæ legi potest.⁶ Anno enim 2009 Melissa suum quartum iter Latinum instituit, quod erat exploratio litoris Cariæ et Rhodi, pulchra nave velifera. Quæstio tunc orta est hæc: possumusne modernam celocem veliferam eiusque armamenta verbis Latinis describere?

Exstant quidem dispersa lexica moderna, sed non universalialia, et accessu insuper difficili. Academia Latinitati Fovendæ est ea colligere atque universale lexicon neologismorum condere. Quod propositum iam tractabatur ab Academia cunabulis, variis autem de causis, præcipue pecuniæ egestate, ad effectum

nondum ductum est. Ab eo tamen pendet, meo sensu, auctoritas Latinitatis nostri temporis. ❧

-
1. «Antonii S.R.E. Cardinalis BACCI quatenus possint huius temporis inventa et excogitata Latine significari», in: *Acta omnium gentium ac nationum conventus Latinis litteris linguæque fovendis a die XIV ad diem XVIII mensis Aprilis a. MDCCCCLXVI Romæ habiti*, Romæ in ædibus Caroli Colombo, 1968, p. 305.
 2. Cf. HEINECCI *Fundamenta stili cultioris*, P.I., c.2, n.5, Neapoli MDCCCLV.
 3. *Inst.* I, 68.
 4. R. Goscinny, J.J. Sempé, *Pullus Nicoellus Latina lingua*, in *Latinum vertentur Marie-France Saignes & Elisabeth Antébi*, Paris, IMAV éditions, 2012.
 5. Harry Mulisch, *Tres fabellæ*. Drie verhalen vertaald in het latijn door Julius Roos, Amsterdam, De Bezige Bij, 2014.
 6. www.fundatiomelissa.org > Pagina lexicographica.

Ecce, cum de his actum sit, regulæ neologismorum Econficiendorum, quas Cardinalis Bacci in oratione supradicta enumeravit:

«I. Inprimis Latinos scriptores optimos, quos *classicos* hodie vocamus, et eos etiam, qui post renatas litteras ab humanitate acceperunt nomen, ‘nocturna versavi manu, versavi diurna’; atque hoc modo res multas summa cum animi iucunditate inveni, quibus per similitudinem et affinitatem, seu analogiam, nova inventa novaque excogitata luculenter satis significari possunt (...)

«II. Secundo loco plurima nova inventa novaque cogitata ex Græco fonte significari possunt, parce detorta, ut ait Horatius (*Ars* 53); id tamen Cicero concedit tantummodo si occurrat necessitas, hoc est si Latina vox desit: ‘Puto concedi nobis oportere, scribit, si quando minus occurrat Latinum’ (*Fin.* III, 15) Si igitur Latina vox præsto sit, ad Græcam confugiendum non est, ut nonnulli faciunt eruditionis causa, vel inani quadam doctrinæ ostentatione. Itaque exempli gratia non *archivium*, sed *tabularium* dicendum est (...)

«III. Tertio loco ex Latino fonte nova verba, quæ iam in communi usu sint et a probatis scriptoribus usurpata, ut verbi gratia *communismus* et *socialismus*, adhiberi possunt. Hæ enim voces, necessariæ prorsus, ex Latinis adiectivis ‘communi’ et ‘sociali’ derivantur (...)

«IV. Quarto modo nova verba, ex Græco atque ex Latino fonte una simul coniuncta, derivari possunt;

quamvis hæc verba, quæ hybrida a grammaticis vocantur, a nonnullis qui ‘pro Latina lingua acriter pugnant, et Latii fines contra peregrinitatem tuentur’, omnino respuantur. Quintilianus enim hæc habet: ‘Iunguntur autem [verba] ex duobus Latinis integris, ut *superfui*... aut ex integro et corrupto, ut *malevolus*, aut ex corrupto et integro, ut *noctivagus*, aut duobus corruptis, ut *pedisequus*, aut ex nostro et peregrino, ut *biclinium*, aut contra, ut *epitogium* et *anticato*, aliquando et ex duobus peregrinis, ut *epirædium*; nam cum sit *epi* præpositio Græca, *ræda* Gallicum... Romani suum ex alieno utroque fecerunt’. Cur igitur quod Quintilianus concedit, non assumamus, et quibus verbis ipse Cicero aliique scriptores optimi utuntur, nos non utamur? (...)

«V. Quinto modo per verborum ambitum seu periphrasin. Interdum enim res novæ vel nova cogitata habentur quæ uno verbo significari nequeunt (...)

«VI. Sexto denique modo. Hac in re non neglegendæ sunt semanticæ doctrinæ normæ, quibus edocemur verba etiam Latina proprium significationis decursum suamque veluti historiam habere atque adeo non semper idem significare. Quod etiam Cicero concedit et admittit (...)

-
- «Antonii S.R.E. Cardinalis BACCI quatenus possint huius temporis inventa et excogitata Latine significari», in: *Acta omnium gentium ac nationum conventus Latinis litteris linguæque fovendis a die XIV ad diem XVIII mensis Aprilis a. MDCCCCLXVI Romæ habiti*, Romæ in ædibus Caroli Colombo, 1968, p. 299-310.

COMITIA MYTHOPOLITANA

SIVE

HEROICVM COMMENTARIOLVM PETITIONIS

– scripsit Marcus Cristini –

*Civitas quæ sit cogita, quid petas, qui sis.
(Commentariolum petitionis, I)*

Media nocte in domo obscura quietaque lucerna lucebat solitaria, cuius exilis flamma in tenebris micabat illuminabatque telam insignem, imaginibus paucis ornatam, et mulierem serendo intentam. Expeditis manibus filorum cohortes ducebat ad metam omnibus præter ipsam textricem ignotam, cum exordium nuper sumpsisset et laborem operosum, arduum difficilemque ante se haberet, ut opus mirabile, quod in pectore diu volverat, sine mendis perficeret. Exigua telæ pars, quæ iam contexta erat, artificis oculis ædes, turrets, palatia mœniaque ostendebat illis antiquæ Troiæ illustribus similia, Mythopolitanis tamen haud dissimilia, adeo ut nemo sine cunctatione cerneret utra urbs in textura agnoscenda esset.

Mulier puncto temporis constitit, ut telam attente consideraret. Dein lumen propius tulit et virum toga candida vestitum texuit prope portas stantem contionemque habentem. Quos vero alloqueretur nemo intellegere poterat, cum acus eorum earumve figuras adhuc non delineavisset. Digiti, imagine perfecta, paulisper cunctati sunt, postremo, ne quis nomen hominis dicentis ignoraret, filo rubro levique id scribere incepit, tum autem ventus lucernam exstinxit.

Postero die heroes heroidesque Mythopolitani mane ad forum maximum, quod sine ulla phantasia Forum Heroicum appellabatur, se contulerunt, ut candidatos cognoscerent, qui urbis moderatoris officium exoptabant. Nam post sæculum Agamemnon munus suum depositurus erat et, comitiis ad successorem eligendum edictis, præconem Idæum coram populo nominam candidatorum et factionum eorum secundum consuetudinem antiquam legere iusserat. Plerumque officii petitores invenire haud facile erat, cum urbis magister mercedem minimam acciperet, negotia innumerabilia curaret et concives suos tam illustres quam litigiosos patientia heroica, immo plusquam heroica, audire, monere solarique deberet. Tunc tamen – incredibile dictu – candidati quattuor erant, sic saltem dicebatur in viis plateisque Mythopolitanis.

Cum Agamemnon id primum didicisset, fertur dixisse se tam multos cives mente alienatos esse haud cogitavisse. Quæstiones enim maioris momenti solvendæ manebant, cum curarum copia decursu temporis magis magisque cresceret, ut moderator crebro aiebat, vel cum ille non numquam satis stulte et segniter se gessisset, ut nonnulli alii mussitabant. Quidquid id est, nomina quattuor sedulorum (sive amentium) civium,

usque ad diem sollempnis renuntiationis iure ignota, omnes scire valde cupiebant, qua de causa ubi primum præco in suggestum escendit, universi siluerunt.

«Concives Mythopolitani, iussu illustrissimi ac nobilissimi moderatoris urbis nostræ præclaræ Agamemnonis vobis candidatos nuntio, qui magistratum summum mox petent, et nomina factionum patefacio. Candidatus primus Atreus est.» Turba conticuit. Atreo pauci favebant, cum illum optimatam superbam democratiaque parum amicum esse scirent. «Factio eius appellatur EGO, id est Ego Gubernator Optimus.» «Seu Ego Grave Onus» inquit Thyestes, qui odium in fratrem aperte gerebat. «Candidatus secundus Thersites est, cuius factio Vox Populi vocatur.» «Palam muttire plebeio piaculum est» dixit aliquis media turba. «Candidatus tertius, immo candidata tertia, Cassandra est, cuius factio Libertatis Oraculum nuncupatur.» Heroides nonnullæ «Euge!» clamaverunt. «Candidatus quartus Ulixes est, cuius factio NEMO nominatur, id est Nos Eligent Mythopolitani Omnes.» Plauserunt alii, alii subriserunt. «Nunc, ut mos est, candidatis licet sententiam brevissimam enuntiare, ut publice suffragiorum certaminis initium faciant.» Heroes tres et Cassandra linteis vestibus albis indutis in suggestum ascenderunt. Atrei oratio fuit profecto brevissima. Cum dixisset «Vincam», tacuit. Paulo disertior fuit Thersites, qui fatus est: «Res publica res populi!» Cassandra brevem post cunctationem inquit: «Sapientia sola libertas!» Postremo Ulixes dixit: «Heros sum, heroici nihil a me alienum puto!»

Nocte illa tela novis imaginibus aucta est. Iuxta virum loquentem mulier homines duos et vatem fatidicam contexit. Quos tamen hi hortarentur, ignotum erat.

Die post candidatorum renuntiationem Ulixes primo mane e domo sua exivit ædes Æneæ petiturus, quem in horto invenit carmina lætum pangentem. «Ave, candidate, quomodo te habes?» «Bene, animus meus tam candidus est quam vestis.» «Gaudeo. Heri, dicam quod sentio, miratus sum audiens te in petitorum numero esse. Dicerem te insanivisse, nisi calliditatem tuam optime cognoscerem. Unde regnandi tam dira cupido?» «Amice, concivibus meis operam dare cupio ad maiorem Mythopolitani populi gloriam.» «Sit ita sane, suffragiis tamen indiges et puto heroibus nonnullis te invisum esse.» «Recte dicis et quam ob rem primum ad te veni. Si enim mihi faves, Troianorum

pars maxima me eliget.» Æneas calamum deposuit Laertiadamque intentis oculis aspexit.

«Ulixes, scio te virum astutum dicendique peritum esse, ego tamen Cassandræ, quæ genus Troia trahit, suffragium meum dabo. Nam in re publica administranda versata est et quæ futura sint semper diligenter prospicit.» «Cassandra tamen sumptus pro expositionibus ludisque tam minuere vult, ut timeam ne pecunia careas ad expositionem de Mytho Romano instituentem, quam scio te diligentissime parare. Cum expositio de Mytho Troiano prospere successerit, ægre fero cives nostros periegetasque simili insigni facinore orbatos fore.» Æneas aliquantulum siluit, dein inquit: «Amice, de hac re cum te consentio, suffragium tamen meum Cassandræ iam promisi et pietas fidesque meæ super æthera notæ impediunt, quominus...» «Insuper – orationem interruptit Ulixes – in animo habeo carmina poetarum egregiorum Mythopolitanorum rei publicæ impensis edere. Nam turpe est nos Homerum Vergiliumque cotidie legere et illustres huius ætatis auctores funditus ignorare.»

Vultus Æneæ luce quadam poetica illuminatus est. «Nonne editio erit critica, appendicibus prædita cum adnotationibus explicationibusque ipsius auctoris?» «Sine dubio.» Anchisiades calamum, qui super paginam languide iacebat, ubi versus decem rubris correctionibus pleni legebantur, breviter spectavit, deinde respondit: «Ulixes, verba tua mihi suaserunt. Tandem tempus est, ut antiquæ inimicitia cum sepultis claudantur. Omnes sumus Mythopolitani, ergo quidni heros Teucer Danao suffragium suum det?»

Paulo post Ulixes ad domum Romuli se contulit. Romanorum rex primus rixabatur cum accola Tito Tatio, qui de instrumentis quibusdam agri culturæ restituendis querebatur. «Aratrum meum ex mense Februario iam tenes, illud redde mihi, raptor!» magna voce clamavit. «Minime, id emi et nunc possideo.» «Mentitus es! Nummos nullos umquam accepi et...» Tussis obstitit, quominus pergeret. «Qui, sine causa iratus, secunda quoque hora novo, medio et supremo sole sub vicini fenestris ululat, mox gravedine laborat. O Tite tute Tati, tibi tanta tyranne tulisti!» Romulo turpissime maledicens ille domum rediit.

Ulixes Romæ conditorem urbane salutavit, de eius bona valetudine eum percontatus est, dein dixit: «Romule, heri in Foro Heroico te vidi. Opinionem tuam de candidatis scire velim.» «Quid dicam? Res politicas neglego.» «In comitiis quem eliges, si quærere licet?» «Nescio, ad comitia raro pergo, agris colendis toto die occupatus sum.» «Amice, si moderator factus ero, frumenti vectigalia leviora fient. Insuper ludos Romanos magnifico apparatu celebrandos curabo. Æneas suffragium suum iam mihi spondit, si tuum quoque habueris, heroes Latini omnes me deligent.» Romulus adsensus est.

Dum hæc agebantur, Penelopa cum Helena loque-

batur. «Ulixem sine dubio eligam et faciam ut maritus meus Menelaus amicusque Paris in comitiis æquo modo se gerant. Agamemnon autem dicitur Cassandræ favere.» «Ad eum statim ibo.» Helena subrisit. «Te hac hora eum haud solum invenire arbitror...»

Uxor Ulixis mox ædes Agamemnonis adepta est. Vidit Clytæmnestram securi ramos cædentem, quæ dixit maritum in balneo esse. Penelopa, dum moderatorem urbis exspectabat, in eius horto ambulavit. Statuas venustas ibi positas admirabatur, cum fenestra domus aperta aliquis amiculo amictus raptim egressus est. Quis esset primum nescivit, ventus autem pallium detraxit et puncto temporis Penelopa vultum Cassandræ conspexit.

Brevi elapso tempore Agamemnon mulieri appropinquavit. «Penelopa, gaudeo, quod me visitas. Tu virque tuus valetis?» «Valemus, Ulixes huc venire magnopere cupiebat, timebat tamen, ne quis candidatum cum moderatore loquentem videns diceret aliquid inhonesti accidisse. Nunc intellego timorem supervacuum fuisse, nam nuper vidi Cassandram ex ædibus exeuntem.» Agamemnon palluit. «De comitorum legibus certior fieri cupiebat.» «Hoc minime dubito. Moderator enim peritissimus es, arcana Mythopolitana cuncta cognoscis et profecto mente comprehendis, candidatorum quis eligendus sit, ne quid res publica civesque eius detrimenti capiant.» Agamemnon aliquid voce confusa murmuravit. «De Thersita nihil dicam, cum ridiculus simul et stultus sit. Pater tuus homo probus est, nimis autem severus.» Heros haud renuit.

«Nonnulli putant Cassandram moderatricem optimam fieri posse.» «Re vera...» «Tu certe scis illam rerum adversarum nuntiam munere severe et frugaliter functuram fuisse, si – quod dii prohibeant – eligeretur. Qua de causa heroes heroidesque universi civitatem illorum illarumve amantes Ulixi suffragia ferre debent, ut urbs nostra per sæculum splendida maneat.» Respondendi facultatem negans loqui perrexit. «Hæc vero hactenus, ad Clytæmnestram redeamus. Cassandra tam cito abivit, ut uxorem tuam non salutaret, quasi aspici nollet, et exemplum eius inurbanum haud imitabor. Insuper, dic mihi, Agamemnon, cur e fenestra exivit? Ianua vestra male aperiturne?» «Carissima Penelopa, Cassandra quoque timebat, ne quis hic eam videret.» Paulisper siluit, dein dixit: «De hac re cum Clytæmnestra loqui inutile est...» «Cras apud nos omnes Ulixis amici epulabuntur. Cena contio haud erit, sed convivium inter familiares. Nonne venire potes?» «Si nihil inciderit, quod impediatur...» «Bene. Omnes scire cupimus, quid de candidatis optimus moderator noster sentiat.»

Postero die ædes Ulixis mille lumina decorabant. Mensas floribus sertisque ornatas copiosis dapibus, cibis delicatis potionibusque suavissimis famuli oneraverunt in aula permagna, cuius parietes opus musivum mirandum occultabat procellam sævam et navem medio

pelago depingens. Stans celsa in puppi media pariete Ulixes undas, pluviam ventosque sine ullo timore oppetebat, dum tempora eius geminas flammās vomebant. Convivæ colloquebantur hilares et adventum hospitis exspectabant. Penelopa amphoras decem vini e cella educendas curaverat, quibus universi sine parsimonia utebantur. Polyphemus Ulixis astutiam ad sidera tollebat aieni: «Moderatorem callidiorem illo nunquam habebimus. Curæ nostræ quasi virgula divina evanescent, cum primum electus erit.» Æneas longe lateque de Ithacensis peritia in re publica administranda disserebat et Teucros omnes qui aderant exhortabatur, ut suffragia illi ferrent. Extemplo in aulam ingressus est Ulixes et pone eum – incredibile dictu – erat Minerva ipsa, quæ de Olympo descenderat, ut epulis interesset.

Convivium mox incepit et dea cibos libenter gustavit (heroides statim animadverterunt Iovis filiam satis pinguem factam esse). Postea dixit: «Ut scitis, dis deabusque in comitiis heroicis suffragium dare non licet, si tamen possem, illud sine ulla cunctatione Ulixi darem.» Omnes plausurunt. «Immortales multi hoc cogitant. Nam moderator Mythopolitanus libertate multis in rebus fruitur, Iovi tamen optimo maximo, iudici gubernatorique summo, ab eo parendum est. Cassandra, quæ sermonibus libertatem creberrime iactat, plusquam semel dixit se Mythopolim civitatem liberam reddere velle. Res novæ istæ nefandæ reverentiam adversus deos excutiant seditionesque accendant. Insuper ea obliviscitur, quis omni mense heroicis monstrisque stipendia solvat.»

Ulixes subrisit. «Verum est, ego ne in somniis quidem de secessione cogito. Immo, si delectus ero, templum Iovis, quod neglectum ruinosumque iacet, ad pristinam magnificentiam restituam et tura dabo aris tertio quoque die.» Dido illi aures præbuit. «Ulixes, mercatorem bene cognosco, qui tus optimum vendit. Si vis, ab eo illud emere potes. Cum amico meo quam primum telephonice colloquar, pro certo habeo te parvo multum turis comparaturum esse.» «Et mihi – inquit Perseus – restaurandi periti præsto sunt, qui quam celerrime optimeque ædem vetustate dilapsam renovent.» «Redemptores tamen deligendi per certamen publicum sunt» dixit Agamemnon. «Amice, templum dirutum est, mox cadet, agamus igitur pingui Minerva» respondit Perseus. Dea indignabunda videbatur, itaque heros addidit: «Absit iniuria verbis.» Penelopa, ut lis vitaretur, ex Agamemnone quæsivit: «Care moderator, quid de candidatis reris? Audisti quot et quanta incepta egregia maritus meus in animo habeat. Cassandra contra præter funesta vaticinia nihil Mythopoli offert.» Agamemnon adnuit et consilia laudavit Ulixis, qui statim surrexit et dextram cum eo iunxit, dum Telemachus, iussu matris, illos photographavit.

Nocte illa ante figuram textam, quæ simillima erat

Ulixis, imagines Æneæ, Didonis, Romuli, Polyphemi, Helenæ, Menelai, Paridis, Persei et Agamemnonis (satis mæsti) apparuerunt. Urbs interea magis magisque crescebat. Ædem insignem ob temporis edacis vulnera herbis dumisque refertam ac ruinis circumdatam mulier perfecit, quod cæmentarii seduli reficiebant.

Post hebdomadam Penelopa ad Academiam Mythopolitanam se contulit, ubi candidati quattuor orationes sollemnes ante comitia habituri erant, a Tiresia eius præside necnon orationum moderatore petitura, ut Ulixes ultimus esset. Ille colloquium *De vero falsoque syllogismo* attente audiebat, cum herois iuxta eum consedit. «...Mus syllaba est; mus autem caseum rodit; syllaba ergo caseum rodit...» «Tiresia, epistulam electronicam meam accepistine?» «Accepi, ordinem autem candidatorum sors decernit.» «Age, sortem adiuva!» «Hoc facere nec possum nec volo.» «Tiresia, maritus meus mox urbis moderator erit et pecuniam Academiae tuæ tribuendam statuet. Hoc obvisci tibi periculosum est.» «Mihi minarise?» «Minime, solum dico: colloquiis tuis absurdis res publica Mythopolitana non amplius favebit.» «Absurda? Quid dicis?» Penelopa tacuit audiens orationem disserentem. «Quod non perdidisti habes; cornua autem non perdidisti; cornua ergo habes.» Tiresias leni voce fremuit. «Ita, Ulixes ultimus erit. Id minis coactus facio, ut philosophia salva sit.» «Homo prudens es, vale.»

Ex Academia egressa est et, domum ambulans, vidit tabellas permultas muris adfixas. Illæ Ulixis imaginem iungentis dextram cum Agamemnone ostendebant una cum verbis *Suffragium tuum aut NEMO aut NEMINI da!* Erat sententia, quam ipsa excogitaverat, multo efficacior quam illa proxima *Difficilius ab honestate quam sol a cursu suo averti potest Cassandra*. Thersites in suis tabellis scripserat: *Omnia sint communia!* Contra Thyestes verba delegerat *Optimum dominatus sola salus*.

Cum domum reverteret, maritum ridentem invenit. «Penelopa, epistulas a Thersita nuper accepi. Audi quæ ille demens litteris mandavit: *Thersites Ulixi. Factio tua grex berorum divitum, superborum stolidorumque est, qui aurum et nummos cupiunt rem publicam spernentes. Indignus es, qui in comitiis contendas, igitur petitionem depone et plebis candidatum elige! Nam 'Vox populi' sola factio est, quæ me moderatore Mythopolim civitatem iustam et omnibus æquam efficere potest, agris locupletum plebi colendis datis. Quid dicis? Respondeam an non?» «Responde et illi laqueum manda!» «Cum te consentio.» Paulo post epistulam perfecit scribens *Ulixes Thersitæ. Ego quod te laudas vehementer probo; namque hoc ab alio nunquam contiget tibi. Ut sapientes dixerunt, contra verbosos noli contendere verbis: sermo datur cunctis, animi sapientia paucis. P.S. Salutem scriptam dignum est dignis mittere: te si arbitrarem dignum, misissem tibi.* Datis litteris ex muliere quæsivit:*

«Tiresias quid faciet?» «Ultimus eris.» «Euge!
Novissimi primi erunt!»

Nocte illa ædificium marmoreum, columnis altis
præditum, in tela textum est, ad quod noctua volitabat.

Postero die cives Mythopolitani quot sunt ad
Academiam perrexerunt, ut orationes quattuor candi-
datorum et controversiam inter eos audirent. Cælum
sine nubibus erat et sol ædificium candidum ac togas
petitorum sine maculis illuminabat. Tiresias paucis ver-
bis dixit ob legem antiquissimam nuper in tabulario
inventam ordinem loquentium idem fore ac ordinem
candidatorum a præcone die renuntiationis delectum.
Thersites valde iratus est aiens illum Ulixis esse
dolum, sed Tiresias ei respondit se amentiam talem in
philosophiæ delubro haud passurum esse, itaque furo-
rem moderandum aut illinc egrediendum esse.

Quibus dictis candidati cuncti iuxta Tiresiam conse-
derunt præter Atreum, oratorum primum. Repente
nubes nigræ cælum invaserunt, pluviam tonitruaque
secum ferentes. Heros, turbida tempestate minime ter-
ritus, superbe heroum monstrorumque turbam loquen-
tem spectavit et, temporis momento elapso, magna
voce dixit: «Sile et tace, infima plebs!» Conticuerunt
omnes illius insolentiam mirati. «Ignavam, inertem
enervemque urbem circum me video, viris mulieri-
busque olim clarissimis, nunc desidia ineptisque dedi-
tis plenam, monumentis præteritæ virtutis onustam,
novis inceptis laude dignis destitutam. Si suffragia vestra
mihi dederitis, Mythopolitanos cives iterum heroes
illustres monstraque omnibus timenda reddam. Cuncti
quibus ingenii particula est certe me eligent, timeo
autem ne decursu temporis maior vestrum pars men-
tem amiserit et...» Nonnulli clamare inceperunt:
«Tyrannus! Abi in malam rem!» Fulmen haud longe ab
Atreo cecidit. «Sordida turba, nunc opus esset baculis,
non verbis!» «Tyrannus! Pessum i!» «Atreu – inquit
Tiresias – tibi populus conciliandus, non insultandus
est!» «Conciliari nisi turpi ratione amor turpium non
potest. Numquam volui populo placere; nam quæ ego
scio non probat populus, quæ probat populus ego nes-
cio.» Vix ea fatus erat, cum poma rancida adversus
eum cives ira flagrantem iecerunt. Quidam postea narra-
vit ante concilium Ulixem fructuum putridorum
copiam ingentem emisit et amicis suis dedisse, sed
nemo dubitavit, quin hæc calumnia ab aliis candidatis
excogitata esset.

Dum Atreus vestes suas tergebatur susurrans «Odi
profanum vulgus», Thersites surrexit. Procella interea
conquievit, nebula tamen caliginosa Academiam sæpsit.
Heros, qui interdum vix videbatur, dixit: «Post vocem
tyrannidis, plebis vocem audiamus! Amici, res publica
res populi est, populus autem non omnis hominum
cœtus quoquo modo congregatus, sed cœtus multitudi-
nis iuris consensu et utilitatis communione sociatus.
Quid vero est iuris consensus? Quid utilitatis commu-
nio?» Multi oscitaverunt. Polyphemus parvam lagœ-

nam cepit et vinum avide bibit, Æneas e pera *Æneidos*
libros traxit, Hercules obdormivit clava domitricæ fera-
rum innixus. «...Prima causa coeundi est non tam
inbecillitas quam naturalis quædam...» Oratio brevi
tempore tædio omnibus fuit, igitur poma marcida
adversus candidatum iterum iacta sunt. Thersites fugit
pavidus conseditque tremebundus pone Tiresiam.

Surrexit Cassandra et, nebula discedente, sub cælo
nubibus referto talia fata est: «Comites heroides
heroesque, monstra cara, hodie vobiscum sum in hac
illustrissima Academia, quia civitas nostra Mythopo-
litana moderatoribus indiget, qui quæve rem publicam
bene penitusque cognoscant et publica munera fidenter
obeant populi partem haud spernentes. Bona enim
mens omnibus patet, omnes igitur sumus nobiles, vita
illustri liberaque digni. Nemo tamen nescit libertatem,
qua nihil dulcius cuncto in orbe terrarum est, sine
laboribus consequi non posse. Qua de causa impensæ
regiminis Mythopolitani minuendæ, vectigalia nova
imponenda et ritus tam inutiles quam sumptuosi, ut
exempli gratia Ludi Romani, abolendi sunt. Hæc omnia
eo faciam, ut nosmet ipsos in libertatem vindicemus
neque diis Olympicis amplius pareamus, qui stipendia
nobis solvunt...»

Universi Cassandram diligenter audiebant, sed
consilia de impensis minuendis vectigalibusque augen-
dis pauci probabant. Debita Mythopolitani regiminis
satis ingentia esse nemo ignorabat, quis autem
umquam gavisus est tributis pendendis? «...Plato ait
neminem regem non ex servis esse oriundum, nemi-
nem servum non ex regibus. Heroides, heroes, mon-
stra, non facit nobilem atrium plenum fumosis imagini-
bus; nemo in nostram gloriam vixit nec quod ante nos
fuit nostrum est. Itaque facinus novum maiusque
omnibus illis olim perfectis nos exspectat, id est certa-
men de vera libertate, ut cives liberi postremo fiamus
post innumerabiles annorum series quas consumpsim-
us pugnando pro deis deabusque frigidis vel pro
hominibus ingratas. Non amor gloriæ sed sapientiæ
animos nostros ducere debet. Me moderatrice heroides,
heroes monstraque quot sunt vivendi eorum earumque
condiciones mutare poterunt, ita ut clarissimi inter nos
sint illi, qui progressui in studiis, scientia vel discipli-
nis urbi utilibus faverint, non illi, qui necibus nefandis
cædibusque cruentis famam adepti sunt!»

Heroides multæ plauserunt, monstra nonnulla,
heroes pauci. Cassandra consedit surrexitque Ulixes.
Extemplo nubes e conspectu evolaverunt et sol luce
fulgida Academiam illuminavit. Simul noctua lente
super heroicam turbam volitavit et, priusquam
Ithacensis fatus est, fastigio insedit, quasi illa quoque
heroem audire vellet. «Amici Mythopolitani, salvete!
Valde exopto oratores disertissimos, qui ante me locuti
sunt, nimis aures vestras haud fatigavisse. Nam pluri-
ma Stoica consilia audivi, quæ nec iucunda nec nova
erant. Mea opinione usque adhuc auctores antiqui

potius quam candidati hodierni locuti sunt. Hæc tamen hactenus. Ego heros indoctus sum, loquendi parum peritus, de libertate, de optimatum regimine vel de rebus novis disserere nec satis scio nec, si sciam, ausim. Nam concives meos bene cognosco et non ignoro quæ re vera velint, timeant desiderentve. Istos doctos, qui optimam rem publicam animovolvunt, qui consilia nova quinto quoque die pariunt, quis umquam vidit media urbe ambulantes? Quis comiter nobiscum colloquentes? Facile est dictu: nemo. Cur? Iterum facile dictu, quia illi illæque superbi sunt. Alienis rebus curant, ut gloria eorum augeatur, ut nomen ad astra tollatur progenie futura, minime ut vita civium melior fiat. Ego contra – quid negem? – satis clarus iam sum, itaque ampliore fama haud indigeo. Moderator fieri cupio, ut res iniustas, de quibus vobiscum sæpe in viis, in foro, in domibus vestris locutus sum, corrigam, ut vita nostra ludis lætis et epulis copiosis postremo digna sit heroibus, heroidibus monstrisque qui per sæcula acriter pugnaverunt ad antiquas gentes et urbes famosas servandas.»

Heroica turba vehementer plausit. «Euge! Vivat! Ulixes moderator!» clamaverunt multi, dum alii candidati invidia tabescebant. Tiresias silentium fieri iussit, dein dixit: «Orationibus petitorum auditis, nunc consilia vestra, ut mos est, in controversiam adducenda sunt. Atreu, incipere velisne?» «Res ab aliis candidatis nuper dictæ ridiculæ inanesque sunt, ego solus ad urbem moderandam idoneus sum.» «Quomodo, si mihi quærere licet?» inquit Cassandra. «Quæ iussero sine cunctatione perficienda omnibus erunt.» «Tyrannus videris.» «Aliquando optimi principes hoc modo vocantur.» «Fama te populi nihil adversa terret?» «Fremant omnes licet, dicam quid sentiam. Ego non terreor, immo, terrere cupio. Cives cuncti me oderint, dum metuant.» «Regnum fide et pietate erigitur.» «Sanctitas, pietas, fides privata bona sunt. Qua iuvat reges eant. Pelopis filius vulgi plausu non indiget.» «Lactes et genus et nomen inutile» dixit Thersites. «Iustitia te moderatore in urbe nostra neglegetur et remota iustitia quid sunt regna nisi magna latrocinia?» «De latrociniiis tu, latro, peritissimus es.» «Candidati, quæso, calumniæ absint» inquit Tiresias. «Ulixes, quid de his reris?» «Amens est cum amentibus disputare.» «Proposita certa in oratione tua nulla audivi præter panem et circenses omnibus largiendos» dixit Cassandra. «Tædio civibus esse nolui.» «Ubi pecuniam invenies?» Heros subrisit: «Si nemo ex me quærat, scio; si quærenti explicare velim, nescio.»

Multa alia tunc dicta sunt et candidati usque ad vesperum de cuiusque consiliis disceptaverunt, omnia tamen referre longum est. Contione peracta, Ulixes civibus cunctis adstantibus donavit sportulas cum pane, parva olei ampulla et caseo, quem Polyphemus lacte gregis sui fecerat. Universi gavisissimi sunt, Æneas sportulam suam intuens iocandi causa fatus est:

«Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentes.» Thersites tamen clamavit Ulixem, scelerum inventorem, suffragia heroum pane et caseo emere, immo furari, quam ob rem illi munus moderatoris non urbis, sed grassatorum petendum esse. Ithacensis nihil respondit, sed ad Agamemnonem ivit, eius sceptrum ab eo momento temporis petivit et illo Thersitam percussit. Candidatus effugit contusus.

Nocte illa tela plurimis novis imaginibus ornata est. Mulier contexit turbam latam Ulixem audientem. Alii candidati, successus eius invidi, procul contionem aspiciabant, paucis circumstantibus. Petitorum minimus male mulcatus videbatur et manus in heroem dicentem porrigebat, nemo tamen ad eum animum attendebat. Mulier morata est, telam lente inspexit, dein acu aliquid novi seruit. Cum manus eius iterum constiterunt, prope Ulixem urbis portæ pandebant.

Comitorum exitum nemo miratus est. Atreus suffragium unum, id est suum, accepit, ne filius quidem Agamemnon patrem elegerat. Interrogatus utrum eum superbiæ pæniteret necne, fertur respondisse: «Unus mihi pro populo est et populus pro uno.» Thersitæ tres (probabiliter ipse, uxor et filia) suffragium dederunt. «Parvum parva decent» dixit, cum hæc cognovisset. Cassandram civium viginti tres centesimæ partes elegerunt. «Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!» clamavit nuntio accepto. Ulixi heroum, heroidum monstrorumque septuaginta quinque centesimæ partes suffragia tulerunt. His rebus cognitissimis subridens «Intus, intus – inquit – est equus Troianus!»

Postero die Agamemnon pompa sollempni novo moderatori sceptrum tradidit et sæculum regiminis prosperum fortunatumque illi optavit. Dein Ulixes ingressus est in œcum summi magistratus, id est in œcum suum, ubi invenit urbis secretarium necnon præconem Idæum. «Salve, moderator!» dixit. «Tibi munus acceptum gratulor.» «Ave, Idæe, gratias tibi ago. Quid novi?» «Heroes nonnulli in atrio te exspectant.» «Fulminibus celeriores sunt, ante horam moderator factus sum et fautores mei iam mercedem poscunt. Qui sunt?» «Vidi Perseum, Polyphemum, Romulum, Didonem et Æneam, qui venit cum plastro.» «Cum plastro?» «Voluminibus onusto.» «Nunc intellego.» Ad fenestram ivit, postulantes inspexit et Anchisiadam audivit recitantem «O fortunatam natam me exule Romam!»

Nocte illa tela perfecta est. Mulier prope portas urbis pandentes turbam gaudentem contexit, quam Ulixes, dum apud cives contionabatur, lætus aspiciabat. Cassandra quoque in populum ovantem oculos coniecerat, vana vates, fati frustra conscia futuris. «Penelopa, sero est. Dormitum veni, quæso!» ex cubiculo dixit Ulixes. «Mox veniam, opus pæne confeci.» Telam paulisper spectavit, dein rubrum filum cepit acuque in ima textura scripsit: «Non hic nova Troia resurgit.» ☪

DE SCIENTIIS ARABICE SCRIPTIS (II)

– scripsit Gaius Licoppe –

INSTITUTIO

Alia magna res est incrementum institutionis. Gradu primario discipuli instituuntur sive in vicorum meschitis sive privatim; discunt linguam Arabicam, coranum et præcipua religionis præcepta. Deinde gradu secundo discunt grammaticam et calculum, sed hæc institutio non est bene definita; nullum programma commune exstat.

Gradu superiore, in magnis meschitis traditur religio et lingua Arabica, in nosocomii medicina, in Domo Sapientiae et bibliothecis seu califæ seu privatorum alia scientiæ. Usque ad undecimum sæculum institutio superior maximam partem est privata.

Cum anno 1055 Turcica tribus Seldiucidarum maiore parte imperii potitur, res nova evenit: «madrasæ» creantur, quæ sunt collegia superiora, ubi alumni institutionem et hospitium accipiunt. Cum hæc instituta sustententur publica pecunia, regimen sibi ius censorium tribuit in magistris eligendis et materia, quam docent. Cum autem Seldiucidæ sint sunnitæ, magistros iubent sunnismum provehere atque in chiismum ceterasque hæreses invehere. A duodecimo sæculo plurimæ madrasæ exstruuntur primum in Asia media, postea in Ægypto, pauciora in Africa septentrionali et in Hispania.

Lingua Arabica in Arabia ante Mahumetum est lingua poesis et commercii. Post Mahumetum acquirit statum linguæ sacrarum scriptorum islamicorum. Extento imperio constituto, fit lingua administrationis late diffusa. Usus chartæ efficit, ut fiat vehiculum omnium scriptorum cultus mahumetani.

MATHEMATICA

Mathematica multum culta est in imperio Arabico, duabus de causis: imprimis ad solvenda problemata usualia, quæ solebant antiquis methodis Mesopotamiæ et Græciæ initio tractari; sed quoque ad gratuitam doctorum curiositatem satiandam. Docti mahumetani mathematicæ multa contulerunt.

Duæ res præsertim mathematicæ progressionem faverunt. Primum Indicus calculandi modus cum sifris et zeri notione, ubi sifrarum positio in numero significabat earum quantitatem (decimæ, centesimæ, millesimæ...); qui modus in perpetuum assumptus est ineunte nono sæculo. Deinde chartæ inventio.


Ante enim quam charta adhibita est, calculi fiebant sive mente, sive scribendo in tabula pulvere operata; quod incommodum erat, nam fieri non poterat ut servarentur calculi intermedii. In charta contra multiplicatio iam non fiebat «signis intermediis deletis», sed «signis intermediis non deletis»; al-Uqlîdisî inter pri-

mos mathematicos fuit, qui chartæ usum proposuerunt. In libro c.t. *Epitoma operationum calculi*, quam serius conscripsit Ibn al-Nannâ, alius magnus mathematicus ex Africa septentrionali oriundus, adhuc inveniebatur hæc distinctio inter calculationes «delendo» et «non delendo» factas; hoc opus in usu mansit in Africa septentrionali usque ad septimum decimum sæculum.

Diophantus Alexandrinus, tertio ut videtur sæculo p.Ch.n., algebræ fundamenta iecerat, qua de causa cognominatur «pater algebræ»; in eius epitaphium legebatur æquatio algebrica, cuius exitus erat numerus eius annorum, 84 scilicet. Quattuor ignoti Diophanti libri anno 1971 inventi sunt in Persiæ urbe *Mesbed*.

Mathematici tamen orbis Arabici hanc scientiam multum extenderunt et nomen hodie adhibitum ei dederunt. In titulo clari operis ab al-Khawârizmî inter annos 813 et 833 Bagdadi conscripti primum legitur vocabulum «algebra». In præmio auctor dicit se homines adiuvare velle in calculi problematibus solvendis, quæ spectant ad commercium, successiones et agrorum mensuras; ibi inveniuntur æquationes primi et secundi gradus.

Eius successores novas vias ingressi sunt, alteram arithmetica, alteram geometricam. Studiis progredientibus et translatione in Arabicum *Aritmeticorum* Diophanti incitante, algebristæ algebram magis



Tycho Brahe, *Astronomiæ instauratæ mechanica*: sextans quo stellam supernovam in constellatione Cassiopeiæ observare potuit (Wikipedia)

magisque arithmetice tractaverunt.

Studium magnum in historia mathematicæ spectat ad interpretationem algebraicæ theoriæ in libro X Euclidis *Elementorum* latentis, quam fecit al-Karajî, Persa mathematicus decimi sæculi.

In algebra, quod spectat tum ad exitus, cum ad stilum, al-Khayyâm (XI sæc.) et al-Tûsî (XIII sæc.) campos exploraverunt, quos primum invenisse Cartesium (René Descartes XVII sæc.) in Occidente semper affirmatum est.¹

Plura de his hic dicere non possum: sunt enim demonstrationes mathematicæ idoneis formulis expressæ, quæ a solis mathematicis intelleguntur. Euclidis trigonometriam quoque multum amplificaverunt mathematici imperii Arabici; eius trigonometriæ planæ addiderunt sphæricam; novæ notiones apparuerunt ut sinus, cosinus, tangens et cotangens.

ASTRONOMIA – ASTROLOGIA.

Astronomia multum culta est in imperio Arabico. Data Ptolemæi (II sæc.) initio adhibebantur; sed in eius observationibus tum iam antiquis maximæ differentię detectæ sunt. Accuratiore observationes necessariæ erant, ad quas faciendas instrumenta maiora fabricata sunt a decimo sæculo. Hi progressus duplicem effectum habuerunt. Primum astronomi ab auctoritatibus religiosis magni æstimari cœpti sunt; nova disciplina orta est, quæ spectabat ad diei tempus metiendum; oportebat enim quinque impositæ preces fierent hora certa.

Ab undecimo sæculo meschitis adnexi sunt astronomi periti (*muwaqqit*), quibus tamen licebat ad investigationes etiam non religiosas operam dare. Alter effectus fuit procursus mathematicæ speculativæ et inde geographiæ mathematicæ.

Tertio decimo sæculo duo mathematici eminerunt, al-Urdî Damascenus et al-Tûsî, qui e Persia oriundus multum itineratus est ob Mongolorum invasiones. Al-Tûsî non accepit fundamentalem distinctionem ab Aristotele constitutam inter motum linearem mundi sublunaris proprium et circularem mundi cælestis. Exquisivit etiam omnia problemata Græcæ traditionis astronomicæ ac conatus est ea solvere. Novum quoque theorema excogitavit, quo Ptolemæi rationes ad cursum stellarum errantium describendum simpliciores factæ sunt. Copernicus sexto decimo sæculo hoc novum theorema adhibuit ut Ptolemæi systema funditus reformaret, nec autumavit se ipsum hoc theorema excogitavisse; manifesto accessum habuit ad al-Tûsî inventum, sed nescimus qua via.

Sæculo tertio decimo Mongolus Persiæ rex, Hulagu



Astrolabium planisphericum, Africa septentrionalis, XIV sæc. (?). Hoc astrolabii genus tantum adhiberi poterat certa quadam latitudine; hic, in Africa septentrionali (Oxonïa in Museo historiae scientiarum; L'Âge d'or des sciences arabes, Exposition présentée à l'Institut du monde arabe, Paris 25 octobre 2005 - 19 mars 2006, Paris, Actes Sud / Institut du monde arabe, 2005)

Khan, cuius Gengis Khan erat avus, mandavit astronomo al-Tûsî ut magnum stellarum observatorium extrueret iuxta urbem *Marâgha*,² quam urbem caput fecerat; id al-Tûsî novissimis exactissimisque instrumentis ornandum curavit. Fuit opus decem annorum et al-Tûsî mansit observatorii præfectus.

Tycho Brahe, Danus, sexto decimo sæculo fuit ultimus sed non minimus astronomus in Europa, qui lentibus non uteretur. Munificentia Dani regis Frederici II potuit tota insula *Ven* frui et ibi magnificam domum *Uraniborg* sibi construere, veram sedem scientificam, observatorio et officina præditam, ubi observationis instrumenta multo exactiora quam præcedentia curabat conficienda; tam similia sunt instrumentis observatorii *Marâgha*, ut vix imaginari possimus Tychonem de eis nihil novisse.

In observatorio *Marâgha* al-Tûsî etiam tabulas planetarum motuum exactissimas confecit. Plerique astronomi post eum, Copernico incluso, eius vestigia manifesto secuti sunt, etiam si res non aperte declarata est.

Cum docti imperii Arabici ad astronomiam operam dare cœperunt, mos erat astrologiam simul colere. Religiosæ tamen auctoritates, corano explorato, astrologiam condemnaverunt, qua re non impeditum est quin coli pergeret etiam in principum aulis; disci astrologici confecti sunt.

ASTROLABIUM

Principium astrolabii plani iam antiquitus apud Græcos erat notum ac primus tractatus de astrolabio hodie notus scriptus est circa 530 p.Ch.n.; cum sit opus didascalicum, quo instrumenti usus explicetur,



Alambicum, XVIII sæc. (Londinii in Bibliotheca Britannica; e catalogo supra citato)

comperimus id Alexandriae sexto sæculo esse adhibitum, præcipue ad horam diu noctuque inveniendam.

Mahumetani astrolabium per Græcos invenerunt multumque excoluerunt, cum perutile esset ad horam quinque precum cottidianarum necnon Meccæ regionem inveniendam; ei addiderunt præcipuas functiones trigonometricas, quibus fieri poterat ut mahumetani necessitatibus religiosis ubicumque imperii Arabici possent satisfacere.

In Occidente astrolabium ab exeunte demum decimo sæculo translationibus ex Arabico inventum est; de eo novi tractatus non eduntur ante tertium decimum sæculum. Multum adhibitum est usque ad duodevicesimum sæculum, quo horologia meliorem temporis mensuram præbuerunt.

DESTILLATIO

Destillatio, qualis nunc est, ineunte primo sæculo p.Ch.n. facta est apud Græcos alchemistas. Eodem sæculo Dioscorides methodum operandi describit in opere c.t. *De materia medica*; instrumentum eius adhibetur inter alia ut minium destillatum fiat hydrargyrum. Mathematicæ Hypatiæ etiam tribuitur inventio methodi destillandi (ineunte quinto sæculo). Eius usus crevit in imperio Arabico ad destillandas imprimis aquas florales, deinde vinum, ab exeunte duodecimo sæculo.

MINERALOGIA

Al-Bîrûnî, in regione hodie *Ouzbekistan* vocata natus, auctor est unius e veterimis textibus nobis notis de mineralogia. In *Libro de notitia gemmarum* (1035) primus describit densitatem gemmarum comparatam cum densitate alicuius electæ, corinvindi³ pro gemmis, auri pro metallis. Primus quoque in orbe

Arabico mentionem facit porcellanæ Sinensis.

FIGLINA FAVENTINA⁴

Hæc sunt vasa fictilia cum illinimento stannifero,⁵ quo superficies fit alba et nitens; in ea licet libere pingere. Videntur primum fabricata esse circa nonum sæculum in Mesopotamia, tunc parte imperii Arabici. Antiquissima fragmenta inventa sunt in ruinis palatii Samaræ non longe a Bagdado, ad septentriones versus. Tantum tempore Renascentiæ hæc vasa pervenerunt in Italiam, ubi ab urbe Faventia (*Faenza*) nomen Francogallicum duxerunt.

LITTERÆ

Calligraphiæ Arabici nulla scriptura in Occidente par est. Vizirus Ibn Muqla in *Tractatu de scriptura et calamo* (X sæc.) systema proportionum definit. Inde compositi sunt sex stili calligraphiæ classicæ. Serius etiam curatur dispositio in paginis. Primum manuscriptum imagine illustratum apparet anno 1009. Plerumque sola manuscripta scientifica illustrabantur.

MUSICA

Notatio musica mansit incompleta.

Initio Arabes habebant musicam ut complementum poesis. Brevi propter religionem distinguendum fuit inter licitum et illicitum. Tamen crevit in imperio Arabico societas voluptuosa, cuius fastigium signatur narratione *Mille et unius noctis*.

Impulsu Græcitatæ musica vergit ad analysin scientificam, quæ vocatur *mûsîqî* e Græco μουσική. Avicenna musicam habet mathematicæ partem. Tamen musica Arabo-islamica se a cogitatione Græca omnino separavit.

AUTOMATA

Automata sunt machinæ ludicræ, quæ videntur suo Marte moveri. Machinator Ctesibius circa annum 250 Alexandriae huiusmodi machinas iam fabricabat ac traditio earum conficiendarum servata est in imperio Arabico, ubi magni æstimabantur. Infeliciter nullus tractatus fabricationis ad nos pervenit.

SCIENTIARUM TRANSMISSIO EX ORBE ARABICO IN ORBEM OCCIDENTALEM

In Europa occidentali scientiæ Medio Ævo non florebant; Indicum systema numerationis in Occidentem introductum est translatione Latina tractatus Mahumeti Ibn Musa al-Khuwarizmi circa annum 1120 in Hispania facta; charta primum apparuit in Francogallia et Italia tantum tertio decimo sæculo.

Introductio scientiarum Arabice scriptarum præsertim per pæninsulam Ibericam facta est, sed alii contactus fuerunt ut Salernum, ubi operam dedit Constantinus Africanus. Omnes viæ nondum sunt repertæ.

Non negligenda est via imperii Orientalis, in quo non pauca erant scripta ex Arabico in Græcum conversa; amabant enim narrationes e Persia oriundas, ut erat *Sindbar Philosophus* vel *Sinbad Nauta*, sed etiam præcipue res quæ spectabant ad medicinam et pharmacopœam.

Latina translatio librorum Arabicorum incohatur undecimo sæculo, auctore Constantino Africano. Qui vir, Carthaginiensis mahumetanus, commercium facit cum Italia; medicus factus redit in Italiam cum manuscriptis medicis; versatur paulisper Salerni, ubi se convertit ad fidem christianam; usque ad finem vitæ vivit in monasterio Montis Cassini, ubi multa opera medica Arabice scripta in Latinum vertit.

Sæculo duodecimo Gerardus Cremonensis Toletum petit, ubi linguam Arabicam octo annos discit. Deinde multa opera Arabice scripta in Latinum vertit, inter quæ Ptolemæi *Almagestum*, nonnulla Aristotelis opera et *Canon Avicennæ*.

Pharmacopœa multum aucta est in imperio Arabico; textus de medicamentis in Latinum versi sunt ab undecimo usque ad tertium decimum sæculum; Simon Genuensis, a quodam docto Iudæo adiutus, complures tractatus de medicamentis divulgavit sub titulo, q.e. *Clavis sanationis*.


Ad summam in ingenti imperio Arabico in Arabicum translata sunt præcipue opera Græca, sed etiam allata ex India et Sinis; in ipso imperio opera lingua Persarum scripta atque Syriaca etiam in Arabicum translata sunt. De hoc ingenti varioque patrimonio selecta opera in Latinum verti cœpta sunt undecimo sæculo; negare non licet hoc fuisse initium scientiarum renovationis in Europa Occidentali. Magnum capitulum scientiarum historiæ universalis est Arabo-mahumetanus, ab octavo ad quartum decimum sæculum.

In Europa tamen duodevicesimo sæculo oritur postulatam, quo scientia classica ab historicis philosophisque affirmatur esse Europæa atque oriri e Ratione Classica, quæ radices habet in scientia philosophique Græca. Hoc postulatam confirmatur undevicesimo sæculo, sed tunc potius nititur notionibus anthropologicis i.e. mentis differentia inter Aryanos (Europæos) et Semitas (Arabes); mens enim Semitarum dicitur idonea non esse ad res scientificas rationaliter tractandas, eorum ergo opera scientifica esse negligenda. Hoc pos-

tulatam magnam partem manet usque ad nostra tempora. Recentius tamen scientiarum historici mathematica opera Arabice scripta in huius scientiæ progressionem sine præsumptione includere cœperunt.

Difficile certe est historicis vel philosophis de his rebus iudicare nisi ipsi etiam sint mathematici. Insuper multorum librorum Arabice scriptorum nondum exstat editio critica neque translatio in aliquem sermonem Occidentalem. Præterea multi libri adhuc latent in bibliothecis, ubi manent detegendi. ☞

1. Roshdi Rashed, *Recherches sur l'histoire des mathématiques arabes*, Paris, Les Belles Lettres, 1984.
2. *Marâgha* est urbs in parte septentrionali et occidentali Persiæ sita, non longe a *Tabriz* et lacu *Ourmieh*.
3. *Corinvidum*: Fr. *corindon*, Angl. *corundum*: non antiquum nomen, sed a Iohanne Woodward datum (1725).
4. Fr. Angl. *faience*.
5. *Stanniferus*: qui stannum continet.



Gerardus Cremonensis, *Latina translatio Chirurgiæ medici al-Zabrâwî, cui nomen dedit Abulcasis. Hic ostenduntur instrumenta chirurgica (Lutetiæ in Bibliotheca nationalî; e catalogo supra citato)*

« LOQVI PROHIBEOR ET TACERE NON POSSVM »

– Gualterus Map, quem proponit Francisca Deraedt –

Nuper, bone lector, mihi commendata est lectio Gualteri Map: eius orationem volubilem esse, lepidam, salibus plenam. Cum autem – oportet res ita fateri, ut sunt – mediævalium litterarum studio haud multum tenear, mirata sum auctorem duodecimi sæculi volubilem esse posse et lepidum et insuper iocosum. Sic alliciuntur curiosæ mulieres, ut plura comperiant de re sibi nondum nota! Quam, ut mos est earum, vicinis postea avent enarrare. Ecce ergo tibi, amice lector, de viro nostro nonnulla.¹

Gualterus Mapius (Walter sive Gautier Map, c. 1140 - c. 1209), e Cambria oriundus, clericus fuit et aulicus. Lutetiæ Parisiorum studuit apud Sorbonam, postea legatus fuit Angliæ regis Henrici II apud Ludovicum VII Francorum regem necnon papam Alexandrum eius nominis tertium. Inter varia munera ecclesiastica, quibus functus est, archidiaconus fuit Oxoniensis.

Sub finem duodecimi sæculi, quo in Francia florebant novæ litteræ, «fabulæ aulicæ» (*roman courtois*) vocatæ, inauditum non est si clericus Anglus, bene præbendatus,² ut illo tempore dicebatur, aulæque moribus assuetus, insuper ipse facetus, eruditus, curiosus, placendi cupidus, «nugas» aulicis dicatas conscripsit, quas hodiernus canonicus procul dubio divulgare vix auderet.

Solum enim opus, quod ei certo possit attribui, est *De nugis curialium*,³ satura qua miscentur et narratiunculæ aulicæ et fabulæ varii generis, nonnulla de auctore ipso atque etiam descriptiones ad historiam illius temporis pertinentes. Res procul dubio lectu mirabilis, quæ non minus mirabiliter sic incipit:⁴

«In tempore sum et de tempore loquor, ait Augustinus, et adiecit: nescio quid sit tempus.⁵ Ego simili possum admiratione dicere quod in curia sum, et de curia loquor, et nescio, Deus scit,⁶ quid sit curia. Scio tamen quod curia non est tempus; temporalis quidem est, mutabilis et varia, localis et erratica, nunquam in eodem statu permanens.»⁷

In eo opere nunc includi solet epistula quædam de uxore non ducenda quæ olim separatim, ut videtur, publicata est: *Dissuasio Valerii ad Ruffinum philosophum ne uxorem ducat*.⁸

Qui, perlecto Erasmi *Encomio matrimonii*, persuasum habet homines a natura non esse confictos ut cælibes manerent, mirabitur quanta vi et acrimonia Mapius hic contrariam thesin demonstrare nitatur, ita ut in huiusmodi exercitatione palmam videatur mereri. Iam enim statim a prima procemii sententia lector ver-

bis percutitur, quorum repetitio iterum et iterum admonet de magno quodam malo: «Loqui prohibeor et tacere non possum»: iam suspicari possumus rem esse gravem. Neque innocentia, mihi quidem, videntur esse sequentia verba: «Grues odi»: suntne re vera hæ aves elegantes auctori tædio, an potius aliæ grues, id est pravæ vitæ mulieres? Medio enim Ævo sic iam vocari solebant meretrices.⁹ Quid autem de nomine illius Ruf(f)ini, cui *Dissuasio* dicitur esse destinata: vocaturne sic re vera? An potius nomen alludit ad rufum capillorum colorem? Illis enim temporibus rufus est color flammaram, ergo inferorum, ergo diaboli, maleficorum aliorumque malignorum... Qui ergo a femina allicitur, iam operis titulo statim condemnatur gehennæ.

At legamus hoc procemium, quod captationi benevolentia non assimilabimus:

«Loqui prohibeor et tacere non possum. Grues odi et vocem ululæ, bubonem et aves ceteras quæ lutosæ hiemis gravitatem luctuose præululant; et tu subsannas venturi vaticinia dispendii, vera, si perseveras. Ideo loqui prohibeor, veritatis augur, non voluntatis.

«Lusciniam amo et merulam, quæ lætitiæ auræ lenis concentu placido præloquuntur, et potissimum philomenam, quæ optatæ tempus iucunditatis tota deliciarum plenitudine cumulat, nec fallor.

«Gnathones diligis et comædos, qui dulces præsurant illecebras, et præcipue Circen, quæ tibi suspiratæ suavitatis aromate gaudia plena perfundit, ut fallaris. Ne sus fias aut asinus tacere non possum.

«Propinat tibi mellitum toxicon minister Babel; blande ingreditur¹⁰ et delectat, et impetum spiritus¹¹ tui conducit: ideo loqui prohibeor.

«Scio quod in novissimo ut coluber mordebit¹² et vulnus imprimet impar omni theriaco: ideo tacere non possum.

«Multos habes voluptatis tuæ persuasores in caput tuum facundissimos, me solum elinguem præconem veritatis amaræ quam nauseas; ideo loqui prohibeor.

«Reprobata est fatua vox anseris inter olores¹³ tantum delectare doctos: ea tamen senatores edocuit salvare urbem ab incendio, thesaurus a rapina, se ipsos a telis hostium. Forsitan et tu cum senatoribus intelliges, quia prudens es, quod organizant tibi olores interitum et anser salutem strepit; ideo tacere non possum.

«Desiderio tuo totus inflammaris, et speciosi nobilitate capitis seductus, chimæram miser nescis esse quod petis: sed et scire devoves quod trifforme monstrum illud insignis venustetur facie leonis, olentis maculetur ventre capri, virulentæ armetur cauda

viperæ; ideo loqui prohibeor.

«Illectus est Ulixes symphonia sirenum, sed quia Sirenum voces et Circes pocula novit,¹⁴ virtutis vinculis sibi vim fecit, ut vitaret voraginem. Ego autem in Domino sperans conicio quod Ulixis imitator eris, non Empedoclis, qui sua philosophia ne dicam melancholia victus, Ætrnam sibi mausoleum elegit, et parabolam quam audis advertes, quod timeo. Ideo tacere non possum.

«Tandem validior est tuus ignis ille quo tibi convenit pars adversa, quam ille tuus quo in me accenderis: ne maior minorem ad se trahat et peream, ideo loqui prohibeor.

«Ut spiritu loquar quo tuus sum, pensentur ignes lance qualibet, æquali vel inæquali, vertatur in periculum capitis mei quicquid agas quicquid iudices: indulgendum est mihi, qui præ amoris impatientia tacere non possum.»


Qui sequentia legit, non potest non mirari quam stulti soleant esse viri: sic enim res fuerunt a mundi primordiis! Ac nunc demum, tot elapsis sæculis, intellegenda nondum intellexerunt? Quamquam Adam, primus Terræ incola, primus etiam detrimentum cepit a femina:

«Prima primi uxor Adæ post primam hominis creationem primo peccato prima solvit ieiunia contra præceptum Domini. Parentavit inobœdientia, quæ citra mundi terminum non absistet expugnare feminas ut sint semper indefessæ trahere in consequentiam quod a matre sua traxerunt. Amice, contumelia viri est uxor inobœdiens: cave tibi.

«Veritas quæ falli non potest ait de beato David: Inveni virum secundum cor meum.¹⁵ Hic tamen egregie præcipitatus est amore mulieris ab adulterio in homicidium, ne umquam sola veniant scandala.¹⁶ Dives est enim omnis iniquitas societate plurima et quamcumque domum intraverit suis tradit inquinandam conviciis. Amice, Bersabee siluit, in nullo malignata est: nihilominus tamen facta est stimulus subversionis viro perfecto et mortis aculeus¹⁷ marito innocenti. Numquid innocens erit quæ contendet et eloquentia, ut Dalida Sampsonis, et forma, ut Bersabee, cum huius sola pulchritudo triumphaverit et nolens? Si non es amplius secundum cor Domini quam David, crede quod et tu præcipitari potes.»

Nam:

«Optima femina, quæ rarior est phœnice, amari non



Mapius una cum rege Henrico II (The University of Manchester Library Image Collections, luna.manchester.ac.uk)

potest sine amaritudine metus et sollicitudinis et frequentis infortunii (...) Vexilla pudicitiae tulerunt cum Sabinis Lucretia et Penelope, et paucissimo comitatu tropæa rettulerunt. Amice, nulla est Lucretia, nulla Penelope, nulla Sabina; omnes time.»

Non fortuita hic est alliteratio *amari / amaritudine*, sicut repetitio vocabuli *nulla* videtur persuasionem magis magisque infingere menti lectoris.

Sequuntur exempla pæne innumera miserorum virorum atque etiam deorum: ecce Iuppiter, quem Europa coegit mugire! Phœbus, captus a Leucothoa! Mars, a toto cælo derisus! Iulius Cæsar! Phoroneus rex! Qui Phoroneus...

«... die qua viam universæ carnis ingressus est, ait Leontio fratri suo: 'Ad summam felicitatem mihi nihil deesset si mihi semper uxor defuisset.' Cui Leontius: 'Et quomodo uxor obstitit?' At ille: 'Mariti omnes hoc sciunt.' Amice utinam semel maritus fueris et non sis, ut scias quid felicitatem impediatur.»

Adsunt Demosthenes, Cato Uticensis, Metellus, Cicero qui «post repudium Terentiæ uxori noluit, dicens se pariter uxori et philosophiæ operam dare non

posse»; altera ex parte Deianira, aliæque interfectorices:

«Livia virum suum interfecit quem nimis odit, Lucilia suum quem nimis amavit (...) Exemplum harum experimentum cape, quod audax est ad omnia quæcumque amat vel odit femina.»

Quid autem de Pacuvio:

«Pacuvius flens ait Arrio vicino suo: 'Amice, arborem habeo in horto meo infelicem, de qua se prima uxor mea suspendit, et postmodum secunda, et iam nunc tertia.' Cui Arrius: 'Miror te in tantis successibus lacrimas invenisse,' et iterum: 'Di boni, quot dispendia tibi arbor illa suspendit!' et tertio: 'Amice, dede mihi de arbore illa surculos quos seram.' Amice, et ego tibi dico, metuo ne et te oporteat arboris illius surculos mendicare cum inveniri non poterunt.»

Ne plura:

«Dura est manus chirurgi, sed sanans. Durus est et hic sermo,¹⁸ sed sanus, et tibi utinam tam utilis quam devotus. Amice, artam, ut ais, infligo tibi vivendi regulam. Esto. Arta enim est via quæ ducit ad vitam,¹⁹ nec est semita plana qua itur ad gaudia plena; immo etiam ad mediocria per salebras evadimus (...) Amice, det tibi Deus omnipotens omnipotentis feminæ fallacia non falli, et illuminet cor tuum, ne præstigiatis oculis tendas quo ego timeo. Sed ne Orestem²⁰ scripsisse videar, vale.»

Simili modo, quo supra vidimus, repetitio et alliteratio clavum ita figunt ut vix ullus lector postea umquam audeat uxorem ducere...

Necessario Mapius *Encomium matrimonii* ante legere non potuit, quam rhetoricam suam dissertationem

conscripsit; quid aliter amico suo suasisset, dubitari licet, ac sic, latiore cogitatione, imaginari et somnari possumus, quid litteræ, artes totaque historia fuisset, nisi tempus semper flueret eodem modo lineari... ☞

-
1. Cf. *Medieval Latin. An Introduction and Bibliographical Guide*, edited by F.A.C. Mantello and A.G. Rigg, Washington, The Catholic University of America Press, 1996, p. 562-563.
 2. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, 1883, VI, p. 446: Præbenda, usurpata a Latinis pro annonis militaribus (...) Nomen demum mansit canonicorum et aliorum clericorum beneficiis.
 3. Walter Map, *De nugis curialium*, edited by Montague Rhodes James, *Anecdota Oxoniensia, Part XIV*, Oxford, Clarendon Press, 1914. Totum opus invenitur in sede interretiali www.archive.org/
 4. In excerptis citandis orthographiam ita aptavi, ut textus hodierno lectori esset magis intellegibilis.
 5. Conf. XI, 25.
 6. 2 Cor 12, 2.
 7. Iob 14, 2.
 8. In: *De nugis curialium* IV 3 (p. 143 supradictæ editionis).
 9. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, 1883, IV, p. 120: grus, *ribaude*.
 10. Prv 23, 31.
 11. Ps 67.
 12. Prv 23, 32.
 13. Cf. Verg. Ecl. IX, 36: argutos inter strepere anser olores.
 14. Hor. Ep. I, 2, 23.
 15. Act 13, 22.
 16. Mt 18, 7.
 17. 1 Cor 15, 56.
 18. Io 6, 60.
 19. Mt 7, 14.
 20. Juv. Sat. I, 4-7: ... Impune diem consumpsit ingens / Telephus aut summi plena iam margine libri / scriptus et in tergo necdum finitus Orestes?

MVLIERI NE CREDAS, NE MORTVÆ QVIDEM

adagium 1921

BREVITER DE PERSONA

– scripsit Samius Jansson –

Antonius Rojas Carrera eloquentissime valde et doctissime scripsit in *Melissa* 192 de ente quod appellatur «ego». Mihi maxime placuit legere symbolam philosophicam eius et deinde cogitavi me velle aliquid Antonio respondere. Plures philosophi hanc rem tractaverunt sed omnium argumenta hic enumerare nolo nam opus esset immensum. Argumenta metaphysica aliqua vobis hic propono.

Si rogamus quid sit «ego» hic præsумimus «ego» esse rem aut ens quod potest sciri, cognosci vel numerari. Aristoteles noster nos hic rogaret quale ens sit ego. Estne universale aut particulare? Si huic respondere nequimus, non videmur posse pergere ulterius hoc loco ubi nunc stamus. Universalia sunt relationes, proprietates, qualitates. E.g. numeri et propositiones sunt particularia abstracta. Nunc est momentum temporis rogare sitne ego relatio, proprietas, qualitas, numerus an propositio. Sine exemplis omnia simpliciter nego. Ego non est relatio, proprietas, qualitas, numerus aut propositio. Estne particulare corpus? Si hoc nunc negamus qua ratione pergimus? Haud satis bene videmur rem tractare si nonnisi dicimus «ego» esse idem ac corpus, annon? Estne «ego» ens particulare quod potest enumerari sicut corpus humanum? Sed personæ dumtaxat videntur posse enumerari sicut corpora nam possumus e.g. dicere decem personas hic in studio nostro adesse vel similia. Quid difficile videtur hic? Mea sententia, si nequimus nos ipsos liberare ex vinculis ontologiæ Aristotelicæ, obstructa esse videtur via nostra. Aristotelica ontologia præsумit rerum naturam ex collectis entibus esse constitutam quorum essentia potest mentis acie agnoscere. Et corpora, proprietates, relationes... entia hæc omnia.


Ad partes ubi possimus responsum quoddam reperire Antonius incepit se dirigere, infeliciter tamen desiit, ut mihi videtur, rem tractare usque ad finem.

Mentionem enim fecit de his entibus: ego personale,

ego historicum vel autobiographicum. Iam ipse in *Melissa* 95 (2000) scripsi de rerum identitate. Ego personale sentit se esse idem ens ac antea quod meminit historiam vitæ suæ. Sed omnes personæ mutantur per tempus. Hoc sensu nemo est hodie idem ac heri. Corpus mutatur a conceptione fetus usque ad mortem senis. Sed quid ad cogitationes? Meæ cogitationes mutantur cotidie. Hodie fieri potest ut intellegam me heri erravisse ideoque opinionem veterem oporteat mutem. Experior tamen me esse eandem personam hodie ac heri. Non igitur videor esse idem ens hodie ac heri sed nihilominus experior me esse «ego» idem sic hodie ut heri? Si pergimus loqui de entibus, personis etc. nequimus longe progredi ab ontologia Aristotelica. Rerum naturam adhuc videmus velut constitutam ex rebus collectis. Altera autem methodus nobis aperitur si reicimus notionem supra traditam et propter hoc, quod omnes res particulares cotidie mutantur, naturam rerum potius censemur esse motus et eventus.

Atqui hæc omnia de quibus supra disserui valde abstracta et philosophica sunt. Relinquamus philosophiam et vobis narro paulum quid de experientia solitudinis. Iuvenis solebam ego mensibus æstatis, Iunio, Iulio et Augusto mense, operari in Suecia boreali apud quendam tarandrorum pastorem Lapponem. Et operis conductor meus mihi benigne solebat quotæstatibus permittere vacationem unius hebdomadæ quam semper terebam solus in planitiis editis inter montes et procul valde ab vita urbana. Postquam ambulavi dies multos et chiliometra saltem quadraginta vel plura adveni ad casam parvam ad lacum inter montes ubi tarandrorum pastores tarandros suos solent colligere bis quotannis. Sed eo tempore quo ipse dies ibi terui nemo adfuit. Casa ea est eorum locus dormiendi cum ibi opera sua faciunt. Clavem accepi a conductore meo ut intrare possem ibi.

Nunc vobis mirabilia narro. Posteaquam terui tres dies ibi in casa ubi dormivi et ad lacum ubi pisces cepi et circumambulavi, sensi ex inopinato locutionem internam mihi cessare. Quod enim nemo erat cui loquerer, opus non erat verba fingere. Et tunc etiam nullus usus restabat nomini. Samius vocor ab amicis semper sed cum solus fuerim tum nomen meum perdidit sensum. Eramne igitur nemo? Samium numquam me ipsum vocavi et numquam mihi ipsi locutus sum. Hoc facto capax factus sum circumstantia subtilius sentiendi, sonos distinctius audiendi, et mentis acie



omnes res sagacius quam antea spectandi. Et valde, persuadeo vobis, caræ lectrices carique lectores, me tum fructum esse pace altissima animi et gaudio magnifico, me ipsum validum sensisse integrum et firmum. Postea aliquando quidam amici me de hac experientia mirantes rogaverunt an metu laboravissem quod solus ambulare ibi inter montes boreales et animalia. Respondeo me numquam tam fortem sensisse me ipsum fuisse nisi ibi cum in solitudine ambulare sine occasione cum hominibus loquendi. Persona mea videlicet mutata tum erat

in solitudine et hoc fiebat, ut nunc censeo, propter hoc quod nemini potui tunc loqui et de nulla re verba facere opus erat. Neologismo sic dicam me tunc vacavisse contextu sociali. Quæ igitur est persona mea socialis et estne hæc eadem ac persona mea sine sociis quibuscum loqui soleo? Saltem in solitudine eram neque ego neque Samius neque homo nisi amicis qui tunc non aderant. Mihi ipsi forsitan fuissem ego si enim de me ipso fuisset mihi opus colloqui me cum ipso. Opus autem non erat et sic «ego conceptuale» mihi mirabiliter evanuit. ☞

NOTÆ EVROPÆÆ DE QVÆSTIONE BRITANNICA

Historia de ingressione Anglica in Europam hodiernam difficilis fuit usque ab origine. Re vera, de ingressione illa omnes in Europa læti fuerunt, sed abhinc aliqua decennia ante ingressum, Anglia impediebat nationes Europæas, quæ tunc dicebantur «Consociatus Europæ Mercatus», et secum alias nationes duxit et omnes una nomen «E.F.T.A.» (*European Free Trade Association*) habuerunt. Res cito ad finem pervenit quia negotia œconomica satis non fuerunt, ergo E.F.T.A. cecidit. Relationes autem optimæ fuerunt pro nationibus Europæis.

Cum Anglia post annos Europam intravit, semper nummum «sterlingum» designatum servavit et numquam id cum «Euro» mutavit.

Post Britannicum referendum *Brexit* Anglice dictum et iam habitum, Anglia exiit ab Europa et nationes Europææ perspexerunt: controversias in Magna

Britannia quoque fuisse (40% circiter diariorum Anglicorum dixerunt); Londinium et Scotiam et Hiberniam de festinatione quoque locutos esse; Angliam damna contra Europam certe fecisse sed contra se ipsam quoque; sterlingum post *Brexit* minus valuisse; alias difficultates œconomicas in futuris aventuras esse; ad Europam adiuvandam contra damna œconomica futura iam studio ab Europa consilia parata esse.

Hodie Europa 27 nationibus loco 28 agenda est. Aliquid novi brevi tempore invenire de vita et opera in communitate Europæa utile erit, præcipue de quæstionibus quæ ad vitam socialem et humanam magni momenti sunt. Sed bona voluntate et omnium consensu permultum certe ab Europa fieri potest. Propositum unum est: «Ut eadem velint et unum sint.» ☞

Victorius SEBASTIANI

DE NOVIS LIBRIS

Frans TERRY (ed.), *Quid susurra ventus? Wat fluistert de wind? What whispers the wind?* Belli haicua. Oorlogshaiku's. War haiku, Meerbeek, Deystere Uitgeverij, 2016, 113 p.

In *Melissæ* fasciculo 192 iam prænuntiata est hæc editio, qua sodales societatis Harundine inscriptæ (www.harundine.be) primum bellum omnium gentium commemorare statuerunt. Proponuntur ergo hic de uno eodemque argumento, id est de bello eiusque atrocitate, in priore libelli parte haicua Latine exarata posteaque in Nederlandicum et Anglicum conversa, in altera parte haicua ab aliis poetis Nederlandice conscripta posteaque in Latinum et Anglicum translata.

Mirum est, quam belle lingua Latina congruat cum Iaponica forma haicus, brevissima quidem sed multo minus simplici quam statim apparet; lectori procul dubio placebunt hæc parva carmina, quibus paucis verbis exprimuntur sensus humani, semper aliquatenus coniuncti cum rerum natura. Si multa, ut erat propositum, manifeste alludunt ad res annis 1914-1918 gestas, alia de nostro etiam tempore monere videntur, quo bella adhuc miserabiliter sæviunt. Qui enim hos legit versus, nonne sponte cogitat de condicionibus maxime hodiernis: Subridet pater: / natus agit tironem! / Subridet mater. (p. 96).

ISBN 978-9079666188

In hoc fasciculo !

- De necessario lexico neologismorum Latinorum* [G. Licoppe] p. 1
Comitia Mythopolitana sive Heroicum commentariolum petitionis [M. Cristini] p. 3
De scientiis Arabice scriptis (II) [G. Licoppe] p. 8
«*Loqui probibeor et tacere non possum*» [W. Map - F. Deraedt] p. 12
Breviter de persona [S. Jansson] p. 15
Notæ Europææ de quæstione Britannica [V. Sebastiani] p. 16
Bibliotheca Latina p. 16

*Imago tegumenti: Prædium Uraniborg tale, quale ostenditur in opere Tychoonis Brahe
c.t. Astronomiæ instauratæ mechanica (1598; Wikipedia)*

Libri a Melissa editi, de quibus plura in sede interretiali :

TH. SACRÉ (ed.), *De Desiderio Erasmo eiusque fortuna commentationes*.
15 eur. (+ 10 eur. pro sumptibus cursualibus in Europa)

G. LICOPPE, *Academia Latinitati Fovendæ. Eius historia per motum
Latinitatis vivæ considerata (1952-2012)* - 30 eur.

G. LICOPPE, *De Romano imperio orientali - veræ historiæ conspectus* - 25 eur.

H. SIENKIEWICZ, *Antbea* – Sive fabula « Eamus ad ipsum » a Petro
Angelino versa, quam denuo edidit atque illustravit Theodericus
Sacré. 20 eur.

*Navigare necesse est. Quattuordecim viatoriæ narrationes veste Latina
indutæ*. Miscellanea Gaio Licoppe dicata edidit Francisca Licoppe-
Deraedt. 25 eur.

W. JENNIGES, *Mystagogus Lycius. De historia linguaque Lyciorum*
De Lycia, æqualibus nostris parum nota, conspectus historicus et lin-
guisticus, auctore viro linguarum orientalium peritissimo. 7,5 eur.

G. LICOPPE, *Portus Itius* - In quo agitur de Portu Itio, ubi re vera fuerit,
ac de Cæsaris navigationibus in Britanniam. 15 eur.

J. CAPART, *Makita*, in Latinum vertit Francisca Deraedt
De antiqua Ægypto phantastica fabula romancia (de historia cuiusdam
muris tempore pharaonum), conscripta a quodam clarissimo
Ægyptologo. 15 eur.

G. LICOPPE, *Le latin et le politique. Les avatars du latin à travers les âges*
Adumbratio historiæ linguæ Latinæ, quæ ab antiquis usque ad nostra
tempora numquam voluit mori. 10 eur.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 25 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539



MELISSA